

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Clemente Alexandrino. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

catores, & fideles nuncij, qui diuino Apostolorum imitandorum studio inflammati, magna adiumenta cum ad verbum Dei in animis hominum exadiscendum, ad idem augendum afferebant. Quorum è numero vnum erat Pantænus ille, quem ad Iudeos perrexisse diximus. Vbi (vt fertur) euangelium Matthæi (quod ante eius aduentum ibi fuerat receptum) in manibus quorundam qui in illis locis Christum profitebantur, repperit: Quibus Bartholomeum, vnum ex Apostolis, prædicasse, illisque Matthæi euangelium literis Hebraicis scriptum, reliquisse, & illud ipsum ad monstratum tempus reseruatum constat. Iste Pantænus propter multa recte facta, & virtutes eximias tandem scholæ illi Alexandrinæ præficitur: qui tum sermone coram, tum scriptis, diuinorum institutorum & religionis tanquam thesauros hominibus proposuit.

De Clemente Alexandrino.

CAP. XI.

Clemens, gentilis illius Clementis qui apostolorum discipulus erat, ac Romanam olim rexerat ecclesiā, temporibus Pantæni, cuius opera in sacris literis educatus, multumque exercitatus erat, Alexandriæ hominum fama & commemoratione multum nobilitatus est: qui quidem in libris ὑποτυπώσεων ab ipso compostis, nominatim præceptoris sui Pantæni mentionem facit. Quem etiam in primo libro τεξιγματῶν videtur innuisse, vbi certos quosdam viros apostolica doctrina (quam ipse ab illis acceperat) cum primis eximios recenset his verbis. Istud à me iam institutum opus, non est certe opus artificiose ad inanem ostentationem elaboratum, sed tanquam commentarius ad obliuionis, morbum curandum in summam senectutem repositus, simulachrum plane & adumbratio non modo efficacis illius & plenæ spiritu ac vita doctrinæ, quam mihi concessum est audire, verum etiam beatorum hominum, qui sunt omnium revera præconiis merito celebrandi. Quorum vnuis Ionicus genere, in Græcia vixit, alter magnum

Clemens
fol. 95.
li. 23.

gnam Græciam incoluit: alter in Cælesyria natus, ibidem commoratus est. Alter ex Aegypto oriundus fuit: Alij orientem doctrina euangelica imbuerunt: Quorum unus ex Assyriis prognatus est. Alius in Palæstina antiqua Hebræorum stirpe editus. Et cum demum ipse hominem in Aegypto delitescentem vestigasse, inquit; eum postremum incidisse, qui virtute & doctrina erat re ipsa omnium primus, tandem cum illo conquieui. Atque isti veram sacrosanctæ doctrinæ traditionem, quam successionis serie ab ipsis usque sanctis Apostolis, Petro, Iacobō, Ioanne, & Paulo deducta, velut filius a patre accepserant, licet pauci numero (pauci enim sunt patribus similes) assidue conservantes, ad nostram ætatem usque diuina fauente clementia vitam propagarunt, quod antiqua illa, & Apostolica doctrinæ prædictæ semina in animis nostris infuserent.

De Hierosolymorum episcopis.

CAP. XII.

SVb idem tempus ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopus Narcissus floruit, multorum ore & sermone ad hanc usque ætatem celebratus: qui successionis serie ducta a Iudeorum obsidione, quæ Adriano regnante, obtigit, decimus quintus numeratur. Ex quo tempore non modo ecclesiam illam, post episcopos, qui erant ex circuncisione, iam ptimum è gentium multitudine coaliuisse, verum etiam illis primum Marcum episcopum, gentium stirpe satum præfuisse suprademonstrauimus. Post quem Cassianum episcopatu potitum, successionum tabula, quæ illic seruantur, ostendunt, Tum Publius, deinde Maximus: hos sequutus est Julianus. Caius huic successit: Post Symachus, & Caius alter: Iterum alias Julianus: tum Capito, Valens, Dolichianus, ordine in episcopatum delecti fuerunt. Ad extremum Narcissus trigesimus ab Apostolis, successionis serie continuata, designatus est.

De Rhodone, & repugnantia, quam commovat heresis Marcionis.

N. 4

CAP.